



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1712

Q. 295. Quomodo pro foro externo sit agendum circa materiam sigilli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42433

nec occurrit magis congruus quàm unus ex his. Et quod dictum est de confessario, valet de omni alio obligato ad sigillum: extra hos autem similesque casus gravissimos foret mendacium sicuti vocibus. Porro quando veritas celari potest modo minùs suspecto de mendacio, hic adhiberi debet, & tum priùs utendum extremo medio, quando necessitas urget.

Q. 295. Quomodo pro foro externo sit agendum circa materiam sigilli. R. §. 1. Confessarius non præsumitur revelasse sigillum, tum quia facta, præsertim illicita, non præsumuntur, tum etiam quia in dubio circa res concernentes forum præsumitur pro Judice, unde in dubio is qui asserit, probare debet, *Fagund. Bardi, Schild, T. 2. c. 5. §. 3. Stoz n. 198. 279.* 1988.

§. 2. Revelans peccatum pœnitentis, ut ipse se defendat, tenetur probare se illud extra confessionem intellexisse vel cum consensu pœnitentis loqui. Si pœnitens neget se consensisse, Confessarius probæ vitæ satis probat jurando, nisi revelatio esset in grave damnum pœnitentis vel tertii, tum enim pœnitens præsumitur non consensisse, *Suar. Bardi, Schild. Stoz n. 279.* qui notat, quando ex omnibus nihil certi erui potest, potiùs credendum Confessario dicenti sibi datam esse licentiam, ob rationem §. 1. datam. 1989.

§. 3. Consensus pœnitentis mortui præsumitur datus, quando Confessarius probæ vitæ loquitur ex confessione ad commodum unius, licet sit ad incommodum alterius, uti si indicet hæredem defuncti teneri ad aliquid restituendum, præsertim si juret. Cessaret tamen hæc præsumptio, si Confessarius non sit probæ vitæ; 1990.

tæ;

tæ; si non coram Iudice vel illo, quem res concernit, sed ex levitate locutus sit; si revelatio cedat in bonum Confessarii; si dicat aliquid in grave præjudicium tertii & leve commodum alterius, *Menoch. Schild. supra.*

1991. Q. 296. Quâ præterea circumspectione hinc merito utendum sit. *Re. §. 1.* Non facile loquendum de auditis in confessione, præsertim coram secularibus, qui judicabunt Confessarios semper memoriâ tenere sua peccata ac propterea se respici aut despici, ex quo confessio fiet odiosa.

1992. §. 2. Si Confessarius aliunde sciat peccatum pœnitentis, potest ex hac altera noticia de illo loqui, dummodo absit scandalum, & audientes intelligant eum istam scientiam aliunde habere, *Aversa q. 18. f. 4 Gob. n. 788. § 15.* Non potest autem ideo confidentiùs rem affirmare, quia ex confessione scit esse veram, nec manifestare ullam circumstantiam ex solâ confessione notam, *Gorm. n. 406.* Quòd si aliunde conscius peccati velit propter illud pœnitentem punire, dicat, priusquam confiteatur, se puni- turum pro æquo, vel ad alium Confessarium dirigat, ne postea pœnitens habeat suspicionem fracti sigilli, *Laym. Stoz n. 222.*

1993. §. 3. Daturus ægro Communionem vel extremam Unctionem non interroget Confessarium, an æger sit absolutus, sed tantum, an sit confessus, ne Confessarium incautum exponat periculo frangendi sigilli vel mendacii, si fortè non absolvisset, *Stoz n. 237.* Pessimè autem facit Pastor, si ab ægro recedens dicat debere magis exercere actus amoris prædominantis, aut si ita loquatur, ut homines intelligant absolutum non esse, quia hoc ipso, quòd prodatur indis-

possi-